

SH8

MS: *M*: Münchem clm 14779 ff. 39r-41v at f. 41r

Cum dicimus

si est homo, est animal,
si est animal, est corpus,

concludimus igitur, si est homo, est corpus,
quia terminus non dissimiliter enuntiatus / coniungit extrema. ‘Non
dissimiliter’ dico, quia sicut *animal* in consequenti primae propositionis
accipitur genus *hominis* / et species *corporis*, eodem modo accipitur in
antecedenti secundae propositionis.

Sed, si quis velit probare

si omnis homo / est Socrates, quidam homo est asinus,
et dicat si omnis homo est Socrates, Plato est Socrates,
respiciens ad terminos, et ita faciens / locum a toto, ‘homo’ solus erit
probans et ‘Plato’ tantum probatum; quodsi postea dixerit
et, si Plato est Socrates, / Socrates est Plato,
quia, si vera est singularis, vera est sua conversa, iam medius terminus
dissimiliter enuntiatur, / licet de simplici inesse utrobique accipiatur, quia
‘Plato’ solum, qui probatum fuit in consequenti, / non est modo probans in
antecedenti, sed tota illa propositio

Socrates est Plato;

quare non coniungit extrema. /

Item, cum debemus repetere an(tecedens) et dicimus

si o(mnis) homo est Socrates,

o(mne) non Socrates est non homo,

non repetimus / idem an(tecedens) sed diversum. Hic enim [.o.] ista
propositio quae dicit

omnis homo est Socrates

est probans; et in prima propositione unus / solus terminus probans fuit,
videlicet ‘homo’.

Quare, si quis peracta argumentatione vellet inferre /

igitur, si omnis homo est Socrates, quidam homo est

asinus,

non procederet, quia ex eodem an(tecedenti) non proveniret consequens, /
et quia medius terminus dissimiliter enuntiatus non coniungeret extrema.

... ..

¶ Si Socrates est lapis, Socrates non est sanus,
et, si Socrates non est sanus, / Socrates est aeger,
et, si Socrates est aeger, Socrates est animal,
quare, si Socrates est lapis, Socrates est animal.

Secundum tertium modum primae / figurae^α et secundum has regulas
quicquid sequitur, et ex quocumque sequitur;
sed ex *Socrate* existente *lapide* sequitur / *Socratem non esse sanum*, quod
est an(tecedens) ad *Socratem esse aegrum*; quare ex illo eodem sequitur
Socratem esse aegrum; et sic esse / *animal*, quod est inconveniens. Vel
ita assumendum est. Sed *animal* sequitur ad *aegrum*, quod est consequens
ad *non sanum*; quare / ad *non sanum* sequitur similiter.

Contra hoc dicendum est quod *aegrum* non sequitur ad *non sanum*
nisi cum constantia, / sic

si non est sanum et est animal, est aegrum.

Quodsi quis dixerit

si Socrates est lapis, Socrates non est sanus,
si autem / non est sanus et est animal, est aeger,
et, si est aeger, est animal,

et velit concludere

igitur, si Socrates est lapis, Socrates est / animal,
nihil facit, quia medius terminus, scil. 'non sanus', dissimiliter acceptus
non coniungit extrema. / Aliud est enim dicere 'non est sanus et est
animal' et 'non est sanus' tantum.

Regula, quae dicit

quicquid sequitur etc, /

sic determinatur. Si an(tecedens) sit tale quod inde sequatur consequens
agendo de quolibet, quemad/modum de quolibet possumus dicere

si est homo, est animal;

nam si lapis est homo, lapis est animal,

et sic / de ceteris. Sed, si lapis non est sanus, non sequitur quod sit aeger.
Non eget tamen determinatione si / consequens accipiatur semper eodem
modo quo sequitur ad suum antecedens.

^α secundum tertium modum primae figurae, scil.: si est A, est non est B; si non est B,
est C; ergo, si est A, est C.